



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theses Theologicæ Apologeticæ Et Miscellanæ,  
Adversvs Doctrinam Cornelii Iansenii Propvgnatam Ab  
Eivs Patronis Svb Prætextv Qverimonix Typographi  
Lovaniensis**

**Derkennis, Ignatius**

**Antverpiæ, 1641**

Observativncvla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73743)



Sed omnia dogmatica, quæ dixit Calvinus, tradit Scriptura: ergo

Omnia dogmatica, quæ dixit Calvinus, dicantur Spiritus sanctus.

*In utroque aequè difficulter probari potest minor.*

VTRIQUÈ OPPONO HVNC  
NOSTRVM.

Quod docuerunt Concilia, SS. Patres ante & post D. Augustinum, & vnanimiter Doctores Scholastici in materia dogmatica de

gratia, hoc docuit D. Augustinus:

Sed Iansenius non docuit; docent autem Theſium Auctores, quod docuerunt Concilia, SS. Patres ante, & post D. Augustinum, & vnanimiter Doctores Scholastici; ergo

Iansenius non docuit; docent autem Theſium Auctores, quod docuit D. Augustinus.

*Maiores vera est, & opposita iniuriosa D. Augustino.*

*Minor probata est in Theſibus, & quoad Patres antiquiores D. Augustino, præsertim Græcos, & Doctores Scholasticos concessa à Iansenio.*

*Consequentia legitima.*

OBSERVATIVNCVLA.



**I**n Theſibus apologeticis theſi 9. ad hæc verba: Vnicum interdum sanctum Patrem, ceteris neglectis, rapiunt in defensionem suæ heresis. Respondimus, tâquam de nobis dicta forent ab Aduersariis, verum cum deinde obseruauerimus, magis naturalem esse sensum alium, quod de ipsis hæreticis dicta sint, in eorum locum, quæ priori interpretationi subtexta sunt, volumus hæc substituere: Iste hereticorum mos, quod vnicum interdum sanctum Patrem rapiunt in defensionem suæ heresis, nihil iuuat Iansenium, aut eius fautores, sed obest potius, nam quod infirmant, id merito factitatum ab Iansenio, cum Augustinum pro se adducat, qui vnus instar omnium est, iam hac ratiocinatione hæreticis ipsis, quos oppugnant, nimium quantum fauent: nam si vnicum sanctum Patrem illi pro se rapiant, neglectis ceteris, is ferè solus est Augustinus, præsertim in materia gratiæ, prædestinationis,

ac liberi arbitrij. Quid Lutherus, quid Kemnitius in toto opere examinis Concilij Tridentini aliud habent in ore quàm Augustinum? Calvinus cerè vsque ad hæc dogmata sua Augustini auctoritate stabilire conatus est, vt in solis Institutionibus ferè trecenta testimonia adferat, eaq; bona ex parte in eadem materia, imò & eodem sensu, quo Iansenius; viderim ergo, quo pacto Iansenium propugnent, dum putant factu esse id inculcare, quod Augustinum vnus instar omnium pro se adducat, & attendant non id agi, an Augustinus, imò & Scriptura sacra (quæ plus quàm instar omnium sanctorum Patrum est) trahantur in partes, sed quàm rectè, & quàm sincerè interpretatione adducantur. Neque hic dicant cum Iansenio tomo 3. col. 878. Propter Augustinum Caluino potius gratulandum, quàm propter Calvinum Augustino indignandum: sed fateantur necesse est, merito suspectam esse illam Augustini interpretationem, quæ aded cum heterodoxorum sensu symbolizat.

*Pag. 10. col. 1. lin. 13. post Lectorem. adde. Nisi annus hic sit 1613, quod Montefinus tom. 1. in 1. 2. pag. 81. referat decretum à Paulo V. conditum an. 1612. 24. Iulij, & iterum 26. Aprilis 1617.*

Veritas manifestanda est, nec errores  
dissimulandi.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.